

*binomij rerum, quaternae constitutiones, ad oculum demonstrant;* quas interceptâ tripartitione plerorumque, per continuatam rationem dichotomicam, ex unôquôvis, tanquam ex Monade, quàm ingeniosissimè deducit famigeratissimus WEIGELIUS, auctor noster nunquam satis laudatus. Quô quidem artificiô incredibile est, quantum juvetur humana rerum cognitio; nec enim demonstratio paucis verbis expediri potest; ipse clarius & evidentius peculiari descriptione rem eloquetur. Interim ex speciminibus præviis velut eminè clarè satis perspicitur, quod, uti Tetractys formalis Arithmeticam mirificè juvat; ita Tetractys realis reliquæ Philosophiæ summum dici compendium jure meritoque possit.

Quapropter, utut alterutri Tetractyos speciei propius interdum accedat, quod apud veteres de Tetracty generaliter dictum invenimus, quia tamen sororiô quasi vinculo coherent, ut altera per alteram sustineatur, & una ab alterâ lucem participet; inprimis, quoniam ipsa formalis Tetractys, tanquam radicalis, profundiori rerum cognitioni, nimirum æstimatoriæ, fundamentum exactissimum substernit; igitur perinde est, cuinam Tetracty velis hoc vel illud applicare, quod à veteribus de Tetracty dictum est, cum, quod uni directè convenit, alteri consequenter, aut præsuppositivè convenire certum sit. Quibus ita præmonitis, facilè videtur intelligi posse, quorsum veterum de Tetracty testimonia sint trahenda, quorum, licet magna seges adduci possit, potiora tamen vel digito notasse nobis hîc sufficiat.

Inter omnes autem, qui de Tetracty Pythagoreâ quippiam memoriæ prodiderunt, primò notandus est Theon Smyrnæus, qui utut juramenti formulam,